ENTHELMINTHICA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXVII. M. MAII A. MDCCCXLVIII
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

GUIDO WAGENER
MARCHUS.

OPPONENTIBUS:

J. C. STRAHL, MED. ET CHIR. DR., MED. PRACT.
N. LIEBERKUEHN, MED. ET CHIR. CAND.
J. SCHULZE, MED. ET CHIR. STUD.

BEROLINI
TYPIS GUSTAVI SCHADE.

PATRI OPTIMO

D. D. D.

AUCTOR.

NONNULLA

DE TETRARRHYNCHO GROSSO, ATTENUATO, MEGACEPHALO.

Benignitate J. Muelleri et Lichtensteinii professorum illustrissimorum contigit mihi, ut aliquot species Tetrarrhynchorum observandi gratia acciperem. Erant tria exemplaria specierum:

Tetrarrhynchi grossi,
" " attenuati,
" " megacephali,

quae jam longo ex tempore in spiritu conservata erant.

Quae exploravi haec fere sunt.

Nonnulla de structura proboscidum Tetrarrhynchi attenuati et megacephali.

Structura proboscidum earumque appendicum utriusque speciei paene eadem est. Eo tantum differunt, quod Tetrarrhynchi attenuati longiores et per longitudinem tenuiores sunt.

Praeterea forma hamulorum diversa est, de qua re alias.

Horum organorum longitudinem obiter tantum aestimare mihi licuit, quia apud neutrum proboscides omnino porrectae erant. Secundum hanc aestimationem apparatus totus 4—6 lineas par. longus esse videbatur.

Organum totum in tres partes dividi potest:

1. Externa pars hamulis obsita (rostrum in specie).
2. Continuatio rostri (vagina).
3. Continuatio vaginae (corpus fabiforme).

Quarum partium quaeque circiter tertiam partem totius apparatus efficit.

1. Pars externa s. rostrum.

Si partem aliquam rostri porrecti dissecas et observationis microscopicae causa extendis, illud animadvertis elasticum esse et fissibile. — Si tandem contigit, ut accurate partem rostri in lamina vitrea extenderis, vides subflavam superficiem (obj. 90ies adauct.), cui imposita est magna hamulorum multitudo, quorum formam infra describemus. Praeterea strias conspicis longitudinales et transversas, quae hamulos vitant, ita ut tota superficies quasi undata appareat. Sub hac tela cernis massam granulosam, quae vestigia striarum regularium continet. Haec massa sub undata membrana sita ubique eandem ostendit crassitudinem et in interiore parte cavi rostri jacet. Hanc rem ita se habere foco cognoscis sursum et deorsum moto.

Si margines praeparati observas, primum vides fibras transversas. Sunt planae, flavae, pellucidissimae, tenues neque acutis lineis extremiscunt. Prope hamulum pergunt

et radicem ejus circumdant arcu magno et angusto. Radix nempe longissima et tenuis est. Locus, ubi hamulum relinquunt, in eodem plano est, quo ad hamulum adeunt.

Sub his fibris transversis jacent fibrae longitudinales, quae eodem modo se habent et hamulos vitant, longioribus vero arcubus.

Si lamina tegens premendo ultro citroque movetur, ex praeparato infimum stratum s. massa granulosa sub fibrillis longitudinalibus sita separatur. Nunc clarissime apparet structura fibrosa supra memorata. Si secando forte fortuna insertionem hamuli evulseris, in hoc foramen ovatum animadvertis, quod hamuli formae respondet. Fibrae transversae et longitudinales foramen aperte circumeunt. In hoc autem loco cum margine acuto paululum se efferunt, ut quasi ab hamulo in altum tractae appareant.

In rostri parte retracta massa granulosa exterius sita est. Hamuli hujus rostri partis, ut notum est, superne tenduntur. Membrana fibrosa sive muscularis obscurior est, ejusque structura difficilius discernitur. Plicas in hac parte rostri nunquam reperi. Item mihi non contigit, ut aperte observarem, num et qua ratione membrana fibrosa s. muscularis in cutem s. musculos animalculi transeat, vel ut aliis verbis utar: num sint apparatus rostrales telarum, quae animalculi corpus formant, continuationes nec ne?

Mayer (Muell. Arch. 1842. pag. 213) in Tetrarrhyncho cystico (vel potius secundum Peters Tetrarrhyncho megabothrio R) orificia suctoria, ut vocat, in finibus rostrorum vidit. Quid in rostrorum apice sit, fieri

non potuit, ut invenirem. Id tantum vidi, rostri partem retractam in apicem finiri. Aliquoties in octo a me indagatis rostris spatium clarum, quod hamulos apice superne directos continet, in formam infundibuli per musculum retractorem se continuare videbatur, qui musculus ab imo per vaginam rostri ascendit et apici rostri se affigit (vide infra).

Hamuli in rostri parte externa insiti, perfecte evoluti in medio rostro spectantur.

In quoque hamulo duas partes discernere potes, radicem scilicet et apicem.

Radicem voco eam partem, quae sub membrana musculari posita est, apicem vero, quae libere eminet.

Radix hamuli perfecte formati laminae formam exhibet sub fibris transversis et longitudinalibus positae et, ut videtur, in massa granulosa jacet. Ovatum esse eam contendere possemus, nisi pars superior acumen fieret. Haec lamina angulum acutum efficiat cum linea, quae in superficie rostri cum axi ejus parallela pergat. Margines hujus laminae sunt plus minusve acuti. Latus laminae inspiciens ex superiore et inferiore fine lineas extremas se erigentes vides, quarum superior subito membranam muscularem transit, inferior autem paululum modo ascendens sub membranam muscularem tendit, pectinem quasi formans, supra quem fibrae musculares transsiliunt.

Simulac linea extrema superior, quae crassa et nigra est, e strato musculari exit, statim angulum format atque ad inferiorem porrigit. Inferior autem stratum cutaneum paululum etiam superat et brevi flexura superiori sese

adjungit; quo magis illae lineae extremae sibi appropinquant, eo tenuiores fiunt, quo fit, ut apicem quam acutissimum forment.

Hamulus omnino cavus. Paries inferior radice formatus non undique eandem diametrum exhibet, tenuissimus, ubi in parietem hamuli superiorem transit. Apicis parietes ubique ejusdem diametri. Superficies interna parietum punctata et coerulea.

Interdum inveniuntur hamuli, quibus praeparatione apices abrupti sunt. In hisce dilucide animadvertitur, apicis partem convexam esse amplificatam, dum pars concava fere aciem exhibet. Ita hamuli Tetrarrhynchi megacephali se habent. In Tetrarrhyncho attenuato hamuli perfecte evoluti longiores sunt, quum eorum apices quam longissime descendant. Hamulorum radices apud eosdem Tetrarrhynchos eandem formationem, ut in Tetrarrhyncho megacephalo, praebent.

Hamulorum ordo et forma aliis locis alia est.

Quo propiores rostrorum radici, eo angustiores fiunt hamuli. Quo propiores apici, eo ampliores fiunt quincunces, ut Leblondii verbo utar. In insertione rostrorum, ubi hamulorum series spirales incipiunt, parvae pallidae ovatae inveniuntur laminunculae. Stratum fibrarum longitudinalium transversarumque eas supergreditur. Aliae laminunculae in anteriore superficie parvum tuberculum ostendunt. Margo earum apertius cernitur et superior pars sensim acutior fit. Alibi tuberculum acutum est, separat fibras strati muscularis. Punctum centrale principium est futurae excavationis. Superior laminae pars

sensim fit acutior. Apex hamuli fibras musculares magis magisque separat, excavatio crescit et altius in radicem hamuli inscendit. Quo magis medium rostrum egredimur, eo magis radix hamuli evanescit ejusque excavatio contra crescit.

2. Pars interna s. continuatio s. vagina rostri.

Haec rostri pars pellucido tubulo, sed solido ex membrana crassa constructo componitur, qui tubulus, ubi rostro adhaeret, majoris est diametri quam in fine. In eo striae spirales fibrarum largarum fibris tenuibus planis intertextis facile discernuntur. In tubuli interiore tractu funiculus subflave brunneus, lumine in objectum cadente, leviter flavus percipitur, qui aperte in vicino apice rostri amplificatur et tum se ei inserit. Interdum cavus esse videbatur, ut ex stria media clariore totam fere longitudinem decurrente concludi poterat. Finis inferior hujus musculi prope flexuram, quae ad finem superiorem corporis fabiformis ascendit, in spadicis formam intumescebat et parietes trium vaginarum comitans in corpora fabiformia se continuare videbatur. Flexura peculiaris brevissima tubulorum communicantium Tetrarrhynchi megacephali, insertio musculi, qui ex corporis parietibus veniens ibi affigitur, forma denique corporis fabiformis multas producunt strias; si compressorio uteris, quod ad has disquirendas res maxime necessarium est. Quibus rebus claritas praeparatorum valde perturbatur. Quarta rostri vagina eadem

compressione imaginem ostendebat, quae has res ita se habere dubium redderet. In illa nempe vagina modo paucae fibrillae subluteae ex musculo superioris flexurae lateris orientes in corpus fabiforme ingrediebantur, qua in via magis magisque crescebant.

In omnibus quatuor rostris Tetrarrhynchi attenuati, in quo tubuli flexura, non ut in rostris Tetrarrhynchi megacephali, idem volumen ac vagina exhibet, sed attenuatur et longior est, musculus aperte breviter ante flexuram finiebatur et sub spadicis forma tubuli parieti imponebatur.

In exemplari Tetrarrhynchi tenuicollis contra quam clarissime illum musculum in corpus fabiforme transeuntem videbam.

Annotatio. Rostra hujus animalculi ita sunt formata, uti Leblond rostra Bothryocephali corollati describit.

J. Mueller in brevi descriptione systematis, ut opinatur, nervosi Tetrarrhynchi attenuati dicit, filum tenue corpora fabiformia cum vaginis rostrorum conjungere. In exemplari attenuati a me observato tubulus communicans item formam fili ostendebat; in Tetrarrhyncho megacephalo vero haec forma non inveniebatur. Itaque opinor in exemplari a Muellero explorato retractorem proboscidis eodem modo se habuisse, quum, si musculus in corpora fabiformia continuatur, tubulus communicans propter rigidas fibras musculi potius continuationem vaginae, quam filum communicans adaequasset.

Inter retractorem proboscidis et vaginam valde splendentem saepe glebulae granulosae et flavae massae inveniuntur. Aequant omnino ei massae, quae internum rostrum exornat; alimenta non esse videntur. In octo

rostris, quae disquirere mihi licuit, granulosa massa nunquam sub amplificata inferiore musculi parte reperiebatur. Id quod mihi videtur probare, musculum cum vagina conjunctum esse.

Per fibras longitudinales retractoris proboscidis item fibrae transversales tenues ubique penetrant, quae retractorem cum vagina et rostro jungere videntur.

3. De corporibus fabiformibus.

Hoc nomine, quod duris illis elasticis corporibus ab Jo. Muellero datum est, forma eorum jam significatur. Sunt in Tetrarrhyncho megacephalo crassiora quam in Tetrarrhyncho attenuato, in quo magis plana sunt. In utroque prismatica sunt. Pars convexa ad parietem corporis, pars concava ad axem corporis vergit. Color eorum flavus est, splendor sericus (atlasglänzend). Tubulus communicans ea cum vagina rostri conjungit. Si hoc corpus secundum longitudinem dissecas, primum vides clarum tenerumque marginem, qui totam superficiem circumdat. Haec est involutio, quae continuatio vaginae rostri est. Marginem externum sequitur stria lata subflava, quae rursus spatium obscurum includit, cujus color obscurus sensim in colorem clarum externum transit, qua re efficitur, ut excavatio stria subflava inclusa esse videatur. Hoc spatium obscurum non in ipso medio corpore fabiformi situm est, sed potius in interiore parte. Transverse dissecans easdem figuras concentricas vides.

Si talem sectionem transversam microscopio disquiris, invenis in hac massa, quae tota ex duris fibris longitudinalibus cum fibris transversis passim transeuntibus consistit, foramen secundum massam minimum, quod non in centro, sed magis ad axem corporis animalculi cernitur. Quod foramen premendo factum non censeo, quia semper etiam praeparato diversissime tractato inveniebatur. Premendo potius effici potuit, ut foramen tam parvum appareret.

Si corpus fabiforme integrum comprimis et microscopio observas, margo latus et obscurus spatium clarum fibris intertextum includit. Vestigium excavationis nusquam inveni. Spatium clarum non esse excavationem vides ex sectionibus transversis. Spatium vero hoc clarum magis magisque sensim comprimendo latius fit, margines obscuri tenuiores. Quia compressione necessaria ad observandum diametros corporis fabiformis circiter ad quartam partem reducitur, manifestum est, canalem corporis amplius cerni non posse.

Nonnulla de systemate nervorum Tetrarrhynchi grossi et attenuati et megacephali.

Exemplar *Tetrarrhynchi grossi*, cujus systema nervorum, quod vocatur, disquisivi, a Rudolphio jam erat incisum et in Synopsi ejus depictum (Tab. II. fig. 10). Contigerat, ut secando nodulum exemplaris hujus permagni non laederet, quem equidem in Tetrarrhynchis a

me exploratis laesi. Ita factum est, ut tantum exigua fragmenta hujus organi viderem. Quae tamen ostendebant, nodulum ita se habere, ut in Tetrarrhyncho grosso.

Nodulus *Tetrarrhynchi grossi*, qui paululum in musculis fornicis capitis situs esse videtur, planus est forma oblonga, colore eodem, ut musculi ejusdem animalculi. Invenis cum inter ambas fossas suctorias capitis et in utroque latere duas vaginas rostri. Hoc vides, si tenuem animalculi partem incidis. Si latam animalculi partem incideres, planam noduli partem tangeres.

Duo superiores noduli anguli tenuibus brevissimis filis cum musculis fornicis capitis cohaerent. Ex utroque inferiore angulo, qui ad partem caudalem animalculi vergunt, bina fila exeunt. Quodque horum filorum secundum vaginam rostri vicinam descendit et ante ipsum initium tubuli communicantis in duos tenues ramos, qui vaginam rostri complectuntur, dividitur.

Eodem modo se habet systema nervorum *Tetrarrhynchi attenuati*, ut ex annotatione brevi J. Muelleri (Arch. 1836, pag. CVI) jam notum est.

Apud *Tetrarrhynchum megacephalum* ordo filorum alius est. Ab altero inferiore noduli angulo duo crassa fila exeunt, quorum alterum paululum ante initium tubuli communicantes in duos ramos dividitur, qui ad vaginam vicinam pergunt. Alterum contra filum directione paululum obliqua ascendit, in medio cursu dividitur in duos longos tenues ramos, qui vaginis sibi respondentibus inseruntur, ubi rursus uterque in binos etiam tenuiores ramos se dividit, qui finem vaginarum rostri complectuntur.

— Alter noduli angulus mittit filum crassum in musculos capitis. Ubi ex ganglio exit, statim in musculos capitis intrat. Conatus sum filum arte exsecare. Massa praeparata constitit ex muscularibus fibris longitudinalibus. Ceteros autem ramos, qui ad vaginas rostrorum eunt, dilacerare non potui, quia facillime franguntur. Item fibris consistebant, quae quidem fibris nerveis evertebratorum longe spiritu maceratis similiores apparebant.

Partes ganglii mihi oblatae non declarabant, num hoc nomen rectum sit nec ne.

Loca insertionis ramorum ad vaginas rostrorum ostendebant, ibi fibras, priusquam inserantur, dissipari. Fibrae vaginae rostri disquisitionem ramificationis prohibent.

Blanchard (Annal. d. scien. nat. 3 Ser. Tom. VII. Part. II. pag. 116. Chap. III) apud alios Cestodes systema nervorum se reperisse vult. Imprimis Cysticercum pisiformem ad hoc observandum idoneum esse contendit, in quo facile inveniatur. Equidem hoc nunquam inveni. Observationes a me institutae dubium paene non relinquunt, Blanchardum systema vasorum ex parte tantum observatum false exposuisse. Descriptio ejusdem paene certo ostendit, eum dimidium annuli vasorum Cysticerci pisiformis vidisse, qui etiam leviter observantem non fugit.

Nonnulla de cute et musculis Tetrarrhynchi megacephali et attenuati.

Forma cutis Tetrarrhynchi megacephali et attenuati nihil notatu dignum ostendit. Apud Tetrarrhynchum attenuatum vides strias transversas, quae circiter duas lineas sub intumescentia, quae caput vocatur, incipit. Striae exigue inter se distant, minus in regione caudae. Utrumque exemplar passim rugosum erat, quod verisimiliter spiritu, in quo conservabantur, factum est.

Si animalculi tenuem partem secundum longitudinem incidis, jam oculo non munito duo strata clare animadvertis, externum subalbum, quod ad cutem externam pertinet et subflavum internum, cujus internus finis apertissime crassis fasciculis musculorum transversis imponitur. Pertinet ad stratum musculare internum. Colores eorum sensim in se transeunt.

Stratum externum facile transverse interrumpitur. Praeparata plerumque non clara nos de structura haec docuerunt.

Consistunt ex duobus fibrarum generibus, e fibra crassa plana, paene lignosa, splendore tendinibus simili, et ex tenui item plana fibra. Prius fibrarum genus secundum longitudinem animalculi propagatur forma anguinea progreditur, sed flexurae cujusque fibrae in uno eodemque plano jacent. Flexurae paene se tangunt, ut forma nascatur, quasi fibrae perpendiculariter in axi animalculi impositae essent. Fibrae crassae altero fibrarum genere

passim intertexuntur. In fibrarum interstitiis magna multitudo granulosae massae exstat, cujus partes cognoscere nobis non contigit; tantum inveniebantur raro corpora lentiformia, tabulatim disposita, haud exiguae magnitudinis. Fortasse triplicem corporis calcarei Cysticerci tenuicollis magnitudinem exhibeat.

Sub hoc externo ad cutem pertinente strato crassum stratum fibrarum longitudinalium, quod stratum fibrarum circularium sequitur, positum est. Utrumque ad internum musculorum stratum pertinet. Efficiunt caudam nusquam cavam animalculi, consistunt rigidis planis primum vocatis fibris, et fasciculos clare separatos conformant. Item fibris antea memoratis tenuioribus multipliciter intertexuntur. Simulac in inferiorem capitis partem intrant, fibrae circulares multitudine crescere videntur. Annuli hic circuitu crescunt, dum fibrae longitudinales inter se removentur. In excavatione sic orta quatuor vaginae rostrorum cum appendicibus, corporibus fabiformibus sitae sunt. Horum organorum quodque peculiarem sulcum habet, in quo jacet. Interstitia inter ea explent valla interno fibrarum circularium strato formata.

Flexuris vaginarum affigitur musculus, qui forma trianguli obtusanguli circiter dimidiam lineam sub flexura tubuli oritur. Prolongatione lemnisciformi fasciculi fibrarum circularium formatus esse videtur, in cujus apicem vagina rostri inseritur et ita quidem, ut musculus non totam vaginam complectatur, sed tantum dimidiam tegat.

Apud Tetrarrhynchum attenuatum in excavatione capitis nubeculosam vidi massam, cujus partem separare

contigit. Sub microscopio apparet quasi membrana ex tenuibus planis fibris longitudinalibus et transversis consistens. Similis massa etiam in Tetrarrhynchi megacephali excavatione capitis inveniebatur, quam quidem separare et microscopio observare non potui. De hac membrana nihil amplius animadverti, quia tela ejus multis aliis admodum similis est, ut exempli gratia vaginae rostri.

In fossis suctoriis et quatuor locis, ubi rostra transeunt, quomodo utrumque stratum se habeat, etiam difficilius observatu erat, quum separatio rostrorum integritatem stratorum, praesertim interni magnopere laederet. Ita factum est, ut tantum viderem stratum externum cutis et stratum fibrarum longitudinalium valde tenue in fundo fossarum suctoriarum esse; tum stratum multo crassius in parte earum laterali cernebatur. Quomodo situs stratorum in superiore capitis parte se habeant, cognoscere mihi non contigit.

NONNULLA

DE CYSTICERCO TENUICOLLI.

De systemate vasorum nonnulla.

Si Cysticercum tenuicollem per totam longitudinem secas, vides etiam oculo inermi duas lineas anguineas, quae (vix cernendae) in collo vesicae incipientes, ad collum Cysticerci convergentes adscendunt. Ibi sub musculos subeunt, unde dum usque ad caput progrediuntur, eas non satis aperte persequi potes.

Si eas lineas microscopio simplici observas, in interno latere utriusque saepe animadvertis alteram et quidem tenuiorem. Haec et illa linea paribus intervallis inter se distant; inflexiones internae lineae magis irregulares et minores sunt. — Ab his duobus vasis tenerorum vasorum rete exit, quod paene sub collo incipit. Rami vasorum orientes angulum rectum efficiunt et vix se tangunt pergentes. A quoque horum ramorum multi rami communicantes breves ad vicinos superiores et inferiores ramos abeunt.

Alter truncus tenuior saepe hoc in reti passim evanescit.

Si hoc rete longius in latera persequeris, nonnullis in locis in laqueis desinens invenies, qui quo magis a magno vase recedunt, eo minus clari fiunt. Aliis in locis singuli rami ad rete vasorum alterius lateris pergere videntur. Communicationem satis claram inter ambo vasorum retia nunquam vidi.

Si lineae passim interruptae albae in collo vesicae inveniuntur, retia in laqueis prope has lineas evanescunt. Per loca interrupta aliquot vasa penetrant, quae quidem non longe potui satis aperta persequi.

Si systema vasorum ad vesicam persequeris, sensim magis obscuratur, ita ut non amplius a parvis plicis et striis albis discerni possit. Sub microscopio lumine per objectum cadente vasa quasi strias vides, quae ut tota interna superficies membranae vesicae globulis adipis tectae sunt. Quo minora vasa fiunt, tanto magis claritas minuitur.

Lumine in objectum cadente insulae albae apparent, systema vasorum ipsum canum.

Si observas marginem plicae partis internae superficiei membranae vesicae, quae systemate vasorum pertrahitur, incisiones his in locis, in quibus vasa eunt, non conspicis. Sed etiam non vides vasorum lumina. Margo acutus atque obscurus est. Reagentia adhibita praeparata clariora non reddunt.

Ad modum persequendum, quo vasa in collo bestiae pergant, aptum est, collum incidere et paululum pressum microscopio explorare.

Inter multa corpora calcarea plerumque vides in utro-

que latere duo vasa anguineo decursu pergentia, quae propter suam claritatem facillime in oculos cadunt. Vas interius interdum tenuius quam exterius est. In parte cephalica colli ambo semper candem latitudinem habent.

Num hae systematis vasorum partes ramificent, nescio equidem.

Deletis corporibus vitreis acido aliquo, vides vasa minus clara, quam si acidum non addideris. Subtilior igitur ramificatio observari non potuit.

In capite quatuor vasa in vasorum annulum intrant, qui satis longe a proboscidis basi distat. Formam annuli cognoscis, si eum paululum pressum ducenties adauct. observas et focum sursum ac deorsum moves.

Vides tum quodque vas intrans in annuli locum, qui insertioni vesiculae suctoriae respondet. Priusquam vasa in annulum intrant, varie sinuantur. Ubi vasa intrant, interdum delta efficitur. Hi vasorum rami saepe paene aequam diametrum habent. — Annulus ipse modo simplex est, modo non simplex. Nonnullae annuli partes in plures tenuiores ramos dividunter, qui postea denuo in unum vas se conjungunt, quod vas latissimum est. Raro vas aliquod transverse per caput ab anteriore ad posteriorem annuli partem pergit. Sed hoc tantum in lateribus ambobus annuli invenitur. Hi rami communicantes sunt brevissimi.

Ad superiorem capitis partem recte vasorum maculis minutis instructum ascendit. Difficillimum visu est, ducenties adauctum quam clarissime cernitur. Plerumque vides primum motum vibratorium, qui teneras nigras lineas

non egreditur. Quas lineas si longius persequeris, de ramificatione admoneris vasorum pulmonis capillarium. Caput, solitis adauctionibus nimis obscurum, difficillimum observatu est.

Utrum hoc rete vasorum capillare eodem modo in annulum aliquem intret, an cum systemate alterius lateris sese conjungat, et ita capitis cavum quasi fornicem exornet, equidem disquirere non potui.

Motum vibratorium apud bestias adhuc viventes usque ad vasa colli persequi potui et nonnunquam quidem ita aperte, ut de eo dubitari non possit. Vibras cellulis adhaerescentes non animadverti.

Vasa capillaria capitis plana esse videntur. Annulus capitis et quatuor ejus vasa rotunda lumina habent. Vasa capitis non contracta 0,0013—0,0014‴ p. per diametrum habent, quod in tubulis communicantibus et in flexionibus vasorum clare cernitur.

Parietes vasorum valde pellucidi sunt. Si focus certo modo movetur, margo vasorum acutam lineam nigram efficit. Si focus alio modo movetur, striam claram, duabus lineis languidis inclusam vides.

Structuram horum parietum non animadverti.

Totum vasorum systema situm est in strato longitudinali fibroso musculorum et in strato vesicae et in strato colli et capitis, atque hoc egredi non videtur.

Corpuscula calcaria s. vitrea.

Haec corpuscula in rugosa parte colli haud pauca inveniuntur, jacentque sub musculis interius sitis. Tantum in collo bestiae reperiuntur. Ante incipientem vesicam caudalem rariora fiunt et plane evanescunt, ubi collum ad vesicam amplificatum est. In parte cephalica colli non tam multa tamque magna inveniuntur. Sub ipsis fossis suctoriis subito stratum corpusculorum vitreorum evanescit. Pauca tamen in parenchymate capitis dispersa sunt, quae eo minora fiunt, quo altius in capite deprehenduntur.

Si bestiam aperta vesica in acido hydrochlorico ponis, collum gase nascente vehementer et globose expanditur. Stria filiformis a collo facile separari potest, usque eo ubi caput se inserit. Inde sequi videtur, corpuscula vitrea inter partem colli striae filiformis et inter membranam muscularem esse sita. Num corpuscula calcaria inter fibras musculares, an supra eas sita sint, observare non potui. In integro collo stratum musculare invenitur inter externam structura carentem membranam et stratum corpusculorum vitreorum. Sed per loca etiam, ubi corpuscula vitrea sita sunt, fibrae musculares penetrant. Si sub microscopio eam partem striae filiformis, quae in collo est, separatam acido non adhibito observas, tantum pauca vides ei adhaerescentia corpuscula vitrea.

Corpuscula vitrea Cysticerci tenuicollis sunt, uti ceterorum Cysticercorum, lenticularia. Diametros longitudinis est 0,005—0,009‴p. Diametros latitudinis 0,003—0,004‴p.

Extrema eorum linea circulus est, cujus peripheria interdum irregularis est. Nonnulla sunt elliptica, nunquam angulata inveni. Corpuscula bicoctiformia solum in Cysticerco pisiformi vidi. Lumine in objectum cadente corpora calcaria tantum albis lineis non claris significantur; lumine autem per objectum cadente, praesertim quadringenties adaucta, guttis oleosis non dissimilia apparent. Foco certo modo moto crassis nigris lineis extremis circumdata cernuntur, quae, si objectum quadringenties augetur, in circuitu ostendunt clarum parallelum marginem, qui, prout focus movetur, aut extra aut intra nigras lineas extremas videtur. Si focus magis sursum movetur, corpus vitreum s. calcarium et niger margo internus clariora fiunt. In omnibus corporibus calcariis vides multas strias circuitu parallelas haud claras, quarum intima non punctum satis clarum includit.

Si haec corpuscula acidis tractas, margines eorum sensim gase nascente arroduntur; denticuli sic facti nonnullis locis majores, nonnullis minores sunt. Postremo restat corpusculum pellucidum, striis concentricis carens, cellulae haud dissimile, quod nucleum clarum parvum in medio ostendit et annulo claro circumdatur, qui paene formam corpusculorum vitreorum habet. Sed etiam hae reliquiae sensim evanescunt.

Praeter haec corpuscula, quae numero valde praevalent, aliud genus granorum adest.

Vides corpora clarissima cellulis similia, plerumque elliptica, duplicibus lineis extremis circumdata. In nonnullis eorum invenis granula passim dispersa, majora mi-

norave, forma regulari carentia; in aliis nil invenis. In nonnullis unum ex illis granis maximum inest, quod quodammodo nucleus est. Testa subtilis longe distat ab hoc nucleo, qui forma et habitu calcarius videtur. In aliis granulum calcarium, testae proximum, apparuit. Praeterea inveniebantur paene regularia corpuscula calcaria. Striae concentricae facile inveniebantur; granula loco maculae centralis antrum regulari forma carens ostendebant, quod in medio esse videbatur. Antrum nonnunquam omnino rotundum apparuit. Porro granula inveni calcaria, quae multa subtilia puncta continebant. Striae concentricae non sine labore cerni poterant. Aliorum antrum centrale paene usque ad marginem amplificatum erat. Puncta plura inveniebantur in corpusculo calcario dispersa. Nonnulla corpuscula tres lineas extremas habebant. Linea extrema marginem corpusculi significat, altera marginem antri exteriorem, tertia introitum antri.

Formae modo descriptae in his quoque corpusculis apparent, quae nondum perfecte testam explent.

Irritatio, quae acido addito fiebat, porro conglutinatio reliquiarum organicarum horum corpusculorum, quae magnopere observationem prohibet, impediverunt, quominus disquireretur, num omnia, quae splendorem proprium horum corpusculorum ostendebant, vere carbonas calcis essent.

De ceteris conferri volo Sieboldii anatomiam comparatam p. I, Sct. I, pag. 116, Ann. I et quod idem auctor attulit de Commentatione Gulliveri in Wiegmann Archiv 1841, Tom. 2, pag. 315.

Miscellanea.

Cavum abdominis cani cuniculi nondum adulti mense Februario h. a. incidens, circa jecur et stomachum circiter quindecim vel viginti liberas vesiculas reperi, forma navicularum praeditas, liquore aquoso repletas. Mensura longitudinis earum 2 — 4‴, latitudinis 1 ½ — 3‴ p. Hae vesiculae paululum tactae vehementem circularem contractionem ostendebant.

In fine talis vesicae album punctum pallida pellucidaque area circumdatum inveniebatur. Ab hoc puncto epistomium parvum, quod nudo oculo vix cerni poterat, in internam vesicam projectum erat. Sub microscopio simplici striae transversae tenerae in vesica cernebantur. Album punctum modo memoratum in medio locum depressiorem ostendebat, axi epistomii respondentem.

Ut epistomium ex apertura premerem, non contigit. (Eodem modo hoc efficere volui, quo capita Cysticerci ex inversione premere soleo.) Bestia media transverse incidebatur. Ea pars, in qua album punctum erat, per longitudinem diffindebatur. Ambo dimidia separabantur, ut epistomium liberum appareret. Depressior locus albi puncti, sexagies adauctus, aperturam ostendebat, quae ad cavum ducit, ex qua interna epistomii pars constat. Apud nonnulla individua majora hoc modo disquisita hoc epistomium formam habebat, quae de capite Cysticercorum nos admonet. Fossae suctoriae non aderant, sed quatuor eminentiae hebetes, quae, prout focus movebatur, animadvertebantur. Eminentia exterius sita futura proboscis esse

videbatur. Corpuscula calcaria per totum corpus raro dispersa erant. Plura in capite quam in cauda. Coronae uncorum ne vestigium quidem animadverti, nec systematis vasorum etc. Tela vesicae et capitis eadem est, quae Cysticercorum.

Jecur valde tuberculosum ejusdem individui in parenchymate confertam multitudinem bestiarum pellucidarum continebat, quarum latitudo circiter linea una, longitudinis mensura 3—4‴ p. Erant planae, liquorem paene nullum continebant. Strias corporis transversas quoque animadverti. Punctum album supra descriptum aderat. Eodem modo, ut in ceteris se habuit. In nulla caput aliud vidi atque quasi inversionem cutis, quae multitudine flavarum granulosarum fibrarum eximia erat.

Excavationes in hac parte bestiae praeparatione factas esse ponendum est.

Cuniculus gravidus vehementi diarrhoea afficiebatur. Quum postridie animal secaretur, in laqueo intestinali in utero jacente vesica inanis inveniebatur, quae incisa collapsa est. In respondente uteri loco Cysticercus pisiformis acysticus reperiebatur.

VITA.

Ego, Guido Wagener, fidei evangelicae addictus, natus sum Berolini die XIX mens. Februarii a. MDCCCXXII patre Joachimo mercatore, quem Dei gratia superstitem veneror, et matre Marianna e gente Bontiana.

Prima litterarum elementa in Gymnasio Magdeburgensi B. Mariae Virginis addidici, cui viri doctissimi Zerrenner et deinde Mueller magna cum laude praeerant. Exactis autem scholae illius spatiis maturitatis testimonium adeptus, anno MDCCCXLIV in almam litterarum universitatem Berolinensem discessi atque per octo semestria hos praeceptores disserentes audivi: Philosophicos Ill. Trendelenburg, Ill. Schultz, Ill. Lichtenstein, Ill. E. Mitscherlich, Ill. Weifs, Celeberr. Heintz, Ill. Poggendorff, Ill. Dove, Ill. Rose.

Medicos Ill. Hecker, Ill. Schlemm, Ill. Mueller, Ill. C. G. Mitscherlich, Celeberr. Simon, Beat. Wagner, Ill. Juengken, Ill. Busch, Cel. Bruecke, Exp. Traube, Ill. Casper.

Clinicis interfui exercitationibus Ill. Romberg, Cel. Wolff, Ill. Juengken, Cel. Boehm.

Quibus omnibus viris summopere de me meritis quam maximas ago gratias.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico, nec minus examine rigoroso superatis, spero fore, ut dissertatione et thesibus palam defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

THESES.

1. Arachnitis cerebri non existit.
2. Ceratitidem esse nego.
3. Entozoorum cysticorum ordo tollendus est.
4. Acarus causa scabiei.
5. Arterias post mortem non vacuas.